



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Confessores qualiter se habere debeant circa pœnitentialem
interrogationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Interroga.confes. 359

ininus quàm clerici peccant. Et in multis casibus huiusmodi, incurrunt laici excommunicationem: vt habes suprà in verbo, excommunicatio.

Sed si clericis violantibus aut non violantibus interdictum, laicus interdictus aut in loco interdicto audit diuina quæ ibi dicuntur, dicendum est quòd peccat quidem, si ipse laicus est interdictus: quomodo debet humiliter sustinere interdictum, & obedire abstinendo à diuinis. Si tamen ipse non est in culpa, nec est nominatim. Sed vt vnus de populo interdictus, & sine scandalo ex deuotione hoc faceret tanquam putans innoxius pias interpretationes pœnarum subuenire creditur excusari à tanto. Si autem ipse non est interdictus, sed audit in loco interdicto, non videtur peccare: quia ex quo ibi diuina dicuntur ipso non auctore, melius est vt fructum ex illo malo bonus percipiat, quàm quòd abstineat: nisi hoc esse fomentum clericorum ad non seruandum interdictum. Et similiter si celebrans admittit ad diuina aliquem interdictum non teneor ego exire: quia nō est assignatum delictum participii in diuinis cum interdicto sicut cum excommunicato: quamuis celebrans incurrat, suspensionem ab ingressu Ecclesiæ: vt patet in cap. Episcoporum. de priuileg. in vi. Aduerte hic, quòd hodie nullus tenetur seruare interdictum à iure vel à iudice positum, si non est contra certum locum aut personam denunciatum: quia sic in concilio Constantiensi sub Martino quinto, indultum est: vt patet in constitutione superius recitata in tractatu de excommunicatione minore.

Confessores qualiter se habere debeant circa pœnitentialem interrogationem.

Interrogationes pœnitentium à cōfessoribus, propter finem huius operis occurrunt hic inserendæ:

360 Interroga.confes.

ut confessor sciat exercere officium suum. Vbi scito
 primò quòd ut in verbo confessor tactum est, con-
 fessor tenetur ad interrogandum pœnitentem in ca-
 su quo putat: aut rationabiliter dubitat omitti ali-
 quid necessariò confitendum, si non interrogat: quia
 tenetur iudex discernere omnia necessariò discernen-
 da ante sententiam absolutionis: alioquin iudicis of-
 ficio abutitur. Vnde si ad necessaria discernendum
 oportet interrogare, tenetur interrogare. Et quia
 abusus sacramentalis iudicii est sacrilegium, procul-
 dubio peccatum est mortale nolle interrogare de ne-
 cessariis. Et confirmatur hoc ex iuris auctoritate, ex-
 trà de pœnitent. & remis. omnis vtriusque sexus. Vbi
 dicitur de confessore, diligenter inquirens peccatoris
 & peccati circumstantias. Vbi autem confessor bona
 fide putat non esse opus interrogatione, non peccat:
 quia præcepta affirmatiua, quale est de interrogando,
 intelliguntur pro loco & tempore, & secundum om-
 nes prudentiæ circumstantias. Imprudentis autem est
 interrogare, quem aut quando non putat bona fide
 interrogandum. Scito secundo quòd interrogationum
 quædam sunt præambulæ ad confessionem, & quæ-
 dam sunt ipsius confessionis. Interrogationes præ-
 ambulæ sunt tres. Prima, si audiendū potest sibi subdī
 quo ad sacramentum pœnitentiæ: iuxta dicta in ver-
 bo, absolutio: quia aliter non posset ipsum absoluerē.
 & propterea ante omnia oportet nosse si est de sua
 parochia vel diœcesi, &c. Secunda, si est impeditus,
 ita ut non possit ab ipso absolui: puta si est excom-
 municatus aliqua reseruata excommunicatione, si est
 in concubinato, si usurarius, si perseuerans occupator
 alieni, seu tyrannus, & quæcunq; huiusmodi. Et hoc
 ut non possit postea pœnitens conqueri dicendo,
 quòd voluisti audire & scire facta mea, & nō vis me
 absoluerē, &c. Similem quoque cautelam adhibe Ec-
 clesiasticis,

Interroga.confes. 361

eclesiasticis, qui detestabilem abusum habendi tot beneficiorum curata incompatibilia absque rationabili causa sequentes confidunt in bullis scriptis, prædicendum est eis. Prouide primum ut sit tuta conscientia secundum Deum, & deinde audiam. Præmittendi sunt quoque Ecclesiastici comati, &c. ad tonsorem, & deinde audiendi. Et sic de aliis.

Tertia est, si præparatus est diligenti discussione præmissa ad confitendum, nam impossibile humano more videtur, ut statim quis longi temporis delictorum neglectorum recordetur: ita ut possit credi illum diligenter discussisse conscientiam suam. Oportet autem præcogitasse secundum suum modum iuxta fragilitatem humanam, & postea supplementum à confessoris inquisitione sperare. Hæc de præambulis.

Ante interrogationes autem confessionis, faciat confessor poenitentem dicere peccata sua modo quoscit: quia hoc recta ratio & iudicii & medicinæ requirit. Nam accusator debet se prius accusare: & similiter æger debet dicere quid sibi dolet, caput an stomachus, &c. Poenitens autem est accusator suimet, & est æger, confessor autem iudex & medicus. Nec hoc putet tempus perditum: quoniã ex tali spontanea confessione quamuis crasso modo, habes circa quæ interrogare debes. Memento autem non esse interrumpendum accusantem se: sed postquã compleuit, interrogato ordine, qui tibi magis placuerit. Nos aliorum ordinem sequentes, secundũ decem præcepta interrogationes quæ videntur necessariae, summatim per capita pro memoriali, subiungemus. Circa primum præceptum capita nouem occurrunt. Primum est, de infidelitate. Si recessit à fide nihil credendo, quod est apostasia à fide. Si non credidit aliquid fidei, quod est hæresis. Si verè dubitauit de iis quæ sunt fidei: quia dubius in fide, infidelis est. Intellige si deliberato

361 Interroga.confes.

consensu voluit dubitare, & non credere. Si vacillauit in fide citra deliberatum consensum, est veniale. Si ex timore negauit fidem verbo vel signo, quamuis non corde, quia mortale est. Secundum est, de idololatria. Si adorauit dæmonem: & breuiter aliud quàm verum Deum. Tertium est, de blasphemia Dei & sanctorum. Si blasphemauit Deum aut sanctos. Si maledixit Deum, aut sanctos, &c. aut iniuriosè impudica membra sanctorum dixit, &c. Quartum est, de falso cultu veri Dei: vt si Iudaicum etiam cultum seruauit aut in cultu Ecclesiastico falsum inseruit: quia perniciosum esset mendacium cultus. Quintum est, de superfluo cultu veri Dei: vt si fiat excessus corporalis apparatus, aut cantus, aut soni, quod communiter veniale videtur. Sed si excessus consistat in hoc quod adiungitur diuino cultui cantilena aliqua (sive in voce humana, sive in voce organi) mortale peccatū est ex suo genere: quia iniuria irrogatur Ecclesiastico cultui ac Deo, dum colitur huiusmodi cātilenis. Sextum est: de inuocatione dæmonū explicata: quia mortale est. Et similiter si familiaritatem aut pactum, aut sociale colloquiū cum dæmone habeat: quia nō licet cum eis nisi hostiliter aut dominatiuè diuina virtute se habere. Colloqui autem cum dæmone in arreptitiis & energuminis vanè & curiosè (vt à multis fit) peccatum proculdubio est: quia publicati sunt nobis hostes. Mortale autem non video, si nihil aliud peius curiositate aut vanitate occurrit: quia imperfectum quid in genere socialis conuersationis hoc est. Septimum, de incantationibus & diuinationibus per superstitiosa, in quibus dæmonis inuocatio implicite inuenitur: quoniam mortale est, nisi ignorantia excuset vt habes in locis propriis. Et his annectuntur diuinationes per astra, somnia, auguria, sortes, quādo superstitiosa sunt: & de portantibus breuia superstitiosa
ad

Interroga.confes. 363

ad collum, &c. Octauū, de perfidia votorum. Si non impleuit votum tempore debito. Si vouit facere malum: puta percutere. Si vouit non facere bonum aliquid: puta non mutare, non fideiubere: quia non solum non valet: sed peccauit vouendo. Nonum est de tentatione Dei. Si tentauit Deum, volens Deum succurrere sibi miraculo quum posset se pascere: aut, &c. Circa secundum præceptum occurrunt tria, iuxta tres comites iuramenti: Iurabitis in iudicio, iustitia, & veritate. Hierem. iiii. Quantum ad veritatem. Si iurauit assertiuè, sciens falsum: vel dubitans assertiuè tamen iurauit. Et similiter si promissoriè iurauit non intendens implere. Et similiter si comminatorie iurauit. Et si quod iurauit se facturum, noluit implere. Quantum ad iustitiam. Si iurauit se facturum malum præcipuè peccati mortalis. Quantum ad iudicium. Si iurauerit indiseretè & sine rationabili causa. Et ad hæc reducitur interrogare, si fuit causa quod aliquis iuraret falsum aut malū, aut non impleret iuramentum. Circa tertiu præceptum occurrunt quinque: scilicet de tempore sacro, de actibus sacris, de loco sacro, de rebus sacris, de personis sacris. Circa primum. Si festos dies violauit, opera seruilia aut alia ab ecclesia prohibita exercendo, aut iubendo illa fieri. Si omisit Missam dictis diebus absque rationabili causa. Si diem festum audita Missa consumpsit in ludis vanis, &c. Si tempore sacrorum ieiuniorum (hoc est quadragesimæ, vigiliarum & quatuor temporum) omisit ieiunare absque rationabili causa. Si violauit hæc eadem cibus prohibitis circa secundum. Si non communicauit in paschate. Si non est confessus semel in anno. Si constens mentitus est, vel tacuit aduertenter aliquod mortale: quia in hoc casu confessio vt pote dimidiata esset iteranda. Si non peregit pœnitentiam iniunctam. Si contraxit matri-

364 Interroga.confes.

monium cum personis sanguine iunctis vsque ad quartum gradum. Si contraxit matrimonium clādestinum. Si neglexit sacramentum confirmationis pro se aut iis quorū curam habet. Si neglexit ire ad prædicationem, & scire quæ tenetur scire. Si fecit sacros actus (hoc est actus alicuius ordinis, vt celebrare, face- re diaconatum, & huiusmodi) & breuiter: si dedit aut suscepit sacramentum aliquod in peccato mortali, hoc est absque illius contritione: aut ad hoc facien- dum induxit aliquem. Si excommunicatus ingessit se diuinis puta Missæ officio, processioni. Si cum excom- municatis participauit in diuinis extra casus cōcessos. Si excommunicatus minore excōmunicatione susce- pit aliquod sacramētum. Si suspensus aut irregularis aut interdictus ingessit se prohibitis sibi. Si quis tene- tur ad officium diuinum, non dixit illud. Si ex propo- sito euagata mente illud dixit, in parte præcipuè no- tabili. Si dixit illud ita collidendo vt non exprimeret dictionem, sed principium & finem versus sonando, quoniam si verè ita est, non satisficit. Si mutauit offi- cium ad libitum. Circa tertium. Si violauit locum sa- cum (hoc est Ecclesiam, aut cœmeterium) semine aut sanguine humano. Si violauit loci Ecclesiastici im- munitatem, inde furando, rapiendo, vel extrahendo inde homines, aut ibidem prohibita exercuit vel exer- cere fecit: vt iudicia secularia parlamenta, &c. Si in- terdictum non seruauit. Circa quartum. Si abusus est sacramentis, & præcipuè Eucharistia: aut sacramēta- libus, puta oleo sancto, & huiusmodi. Si non seruauit formas sacramentorum. Si iniuriam fecit sanctorum reliquiis aut imaginibus. Si vsurpauit aut occupauit res mobiles vel immobiles Deo dicatas: vt sunt res Ecclesiarum.

Circa quintum. Si percussit aut quomodolibet violentauit clericum seu Ecclesiasticam personam. Si
carnale

Interroga.confes. 365

caruale peccatum similiter commissum est per ordinem sacrum, aut religionem, aut votum castitatis. Si libertatem à gabellis, &c. Ecclesiasticarum personarum violauit, exigendo ab eis prohibita exigi. Circa quartum præceptum occurrunt quinque: scilicet de impietate, inhumanitate, inobediētia, inobseruancia, & ingratitude. **Quantum ad impietatem.** Si parentes non honorauit. Si illis non subuenit. Si sanguine iunctis debitum honorem & subsidium non impendit. Si patriæ, si concitiibus & patriæ beneuolis debita non exhibuit auxilia & officia. Si filios aut nepotes sibi commissos non educauit, instruxit, curauit. Si maledixit illis. Si neglexit corrigere illos verbo & opere ut expedit, præcipuè in peccatis mortalibus: ut blasphemia, &c. Si uxorem vel virum malè tractauit. Si famulos famulasque malè gubernauit. & econtrario si hi debitum non fecerunt. **Quantum ad inhumanitatem.** Si crudelis ad pauperes. Si ad opera misericordiae negligens. Si de superfluo non fecit eleemosynam. Si existenti in necessitate extrema aut magna, non subuenit ut potuit. Si contra pauperes aliquid fecit, aut dixit, aut impediuit aliquam eis conferendam eleemosynam.

Quantum ad inobediētiā. Si ex contemptu non obediuit: seu si non obediuit ut non obediret. Si non obediuit in iis quæ sub præcepto mortalis peccati mandata sunt. Si non obediuit in damnū alicuius. Si non obediuit in iis quæ sunt notabilis importantiæ. Si non obediuit in cōmunibus mādatis. Et hic infere de obseruatione legum & statutorum, &c. **Quantum ad inobseruantiā.** Si principibus & his qui in dignitate sunt constituti, nō detulit debitum honorem & reuerentiā, & subiectionem verbo & opere. Si magnatibus, &c. non assurrexit, &c. **Quantum ad ingratitudinē.** Si ex cōtempu beneficii aut benefactoris fuit
ingratus

366 Interroga.confes.

ingratus: seu si ideo fuit ingratus vt esset ingratus . Si fuit ingratus verbis . Si affectum non habuit retribuendi . Si memoriam non replicauit recompensandi, sed obliuioni mandauit beneficium . Si benefactori detraxit, aut malefecit, aut fieri fecit . Non occides, quintum præceptum . Vbi de iniuriis personalibus mortis, mutilationis, vulneribus, vinculorum carceris, seruitutis, cruciatus, & exilii, consistentium in facto . Si occidit, aut occidere attentauit . Si infantem tenuit in lecto cum periculo oppressiois . Si procurauit abortum viuificato foetu . Si etiam procurauit abortum ante viuificatum foetum, scilicet primo mense: quia etiam mortale est, minus malum tamen . Si venenum sterilitatis sumpsit aut dedit . Sed aliquid horum fieri fecit, aut dedit consilium, auxilium vel fauorem: imò si non obtulit quum posset, in crimine est . Si mutilauit aut mutilari fecit, &c. vt de homicidio interrogatū est . Et sic de aliis sex . Si vulnerauit, si vinculauit, si carcerauit, si cruciauit quacunque corporali afflictione, si in exilium misit, aut aliquid horum fieri fecit, &c. vt supra . Demum si voluntate deliberata aliquid horum desiderauit, vt alicui eueniret . Ad hæc reduc de odio, ira, inimicitia, & bello . Si odio habuit aliquem . Si desiderauit illi malū animæ vel corporis, vel honoris, famæ, rerum, &c. Si gauisus est de malo alicuius, & quali malo . Si vindictam fecit propria potestate, aut similiter fieri fecit, aut optauit fieri . Si noluit parcere inimico quantum ad offensam . Si negauit aut subtraxit communia beneficia . Si inimicitias fouit . Et hic innumera occurrunt de actibus propterea gestis intus & extrà: & de peccatis quorum fuit causa, aduocando socios criminis, &c. Si fecit bellum iniustum . Si fuit ad bellum iniustum scienter . Si fuit ad bellum dubium de iusticia absque mandato superioris: ita quòd obedientia non excuset. Sextum præceptum.

Interroga.confes. 367

ceptum. Non moechaberis, de iniuriis veneris: scilicet de adulterio, incestu, sacrilegio, stupro, fornicatione, & crimine innaturali. Si cum persona coniugata, aut est adulterium. Si cum sanguine iuncta, est incestus. Si cum persona Deo dicata per sacrum ordinem aut votum solenne religionis, aut etiam per votum simplex castitatis, semper est sacrilegium. Si cum muliere virgine, est stuprum. Si cum persona soluta, est simplex fornicatio. Si innaturaliter cum persona sola, est mollities. Si cum persona alia, est sodomia. In his veneris modus innaturalis, hoc est ut mulier supergrediat, culpabilis maxime est. Alii verò tolerabiles sunt: & videntur potius consentibus relinquendi ut dicant ipsi. De osculis, tactibus, & aliis huiusmodi interroga summarie inter non coniuges: inter coniuges nulla quasi cura habeatur, nisi vel ad pollutionem extra actum coniugii agatur, aut cum periculo talis pollutionis agatur. Omnis enim extra coniugii actum voluntaria pollutio, peccatum est contra naturam.

Septimum præceptum, Non furaberis, de iniuriis quantum ad res: de furto, rapina, fraude, usura, & huiusmodi. Si furatus est. Si rem alienam inuentam, quæ non habetur pro derelicta, accepit animo retinendi pro se. Si ex naufragio res alienas accepit. Si vendidit aut emit cum fraude: aut circa pretium, aut circa rem, aut circa pondus, aut circa mensuram, aut circa numerum. Si fecit contractus usurarios. Si imposuit novam gabellam. Si exegit gabellas à personis Ecclesiasticis contra ipsarum exemptiones. Si violenter abstulit rem alienam, aut etiam suam à quieto possessore, quamvis malè possideret. Si contractum societatis iniustæ fecit. Si communia bona usurpavit. Et de cambis, & breviter hæc melius ipsi qui fecerunt sciunt, si volunt se accusare: quoniam conscientia eorum accusat

368 Interrogat.confes.

cusat eos intus. Octauum præceptum. Non dices falsum testimoniū: habet duo capita magna. Primum, de iniuriis iudicialibus. Et hic ex parte iudicis, ex parte accusatoris, ex parte rei, ex parte testis, ex parte aduocati, ex parte procuratoris. Secundum, de iniuriis verborum. Et hic de mendacio, detractioe, contumelia, rixa, contentione, litigio, susurratioe, irrisioe, maledictione. Et quoniam illa quæ pertinent ad primum caput, non sunt communia sed aut rara, aut status spectant iudicum, aduocatorum &c. ideo vide in locis propriis: non prætermittendo circa testes in iudicio, an non solum verum dixerint, sed etiam an responderint iuxta interrogata absque sophisticatione. Et similiter si reus in casu quo tenetur, noluit fateri verum, aut mentitus est: & tantò peius si inde alter (puta actor) infamatus est quasi calumniator &c.

De mendacio. Si mentitus est perniciosè, hoc est in damnum alterius: siue quo ad scientiam, docendo falsa: siue quo ad res, dicendo quod res ista non est istius: siue quò ad quodcunque aliud bonum animæ vel corporis, vel rerum exteriorum. Si mentitus est officiosè vel iocosè. Hic annecte de simulatione & hypocrisis quæ sunt mendacia in facto. Si simulatio aut hypocrisis fuit perniciosà, hoc est in damnum &c. aut si fuit adeò affectata, vt pro illa seruanda non curauerit incurrere mortalia peccata. Si mendicauit quasi egens quum non egeret. Si finxit reliquias sanctorum, aut miracula &c. ad quæstum. Annecte & de iactantia, si perniciosà. Vnde in locis suis.

De detractioe. Si dixit aliquid ad infamiam alterius animo infamandi. Similiter si audiuit, aut fouit, aut induxit tali animo. Si non animo detrahendi dixit verba detractoria cum læsione famæ. Si facile retulit ex auditu mala aliorū. Si non defendit famam
proximi

Interroga. confes. 369

proximi iniuste infamati, in casu quo posset, & propterea læsa est proximi fama. De contumelia. Si dixit alicui aliquid criminofum, aut conuicium animæ vel corporis animo iniuriandi. Si sine tali animo dixit ita tamen quod notabiliter proximus est iniuriatus. Si ad hæc dedit consilium &c. Si aliàs leuiter, iniurias aliquas dixit. Si rixatus est, quo animo & quibus verbis iniuriosis aut minis. Si comminatus est, & quo animo, & quid. Si contentioni vacauit: & quo animo, an impugnandi veritatem vt impugnaret veritatem, an ex durtia aut apparètia quadam, & an in rebus fidei vel mori &c. Si litigiosus fuit omnibus opponens, semper quasi molestus in colloquiis &c.

De susurratione. Si seminauit discordias, aut fouit eas animo discordiam causandi aut fouendi. Si non eo animo, sed tamen tam notabiliter vt discordia sequeretur. Si leuiter aliqua dixit quæ ingrossatiua sunt animorum.

De irrisione. Si derisit aliquem animo confundendi illum. Et si non tali animo, tamen ita turpiter vt confusio sequeretur. Si ioco aut leuiter irrisit aliquem.

De maledictione. Si imprecatus est malum alicui: & quod malum animæ vel corporis, vel damnū rerum, famæ &c. Si hoc dixit animo vt eueniret. Si ex ita siue animo malo. Si male dixerit creaturis irrationabilibus. Si maledixit diem natiuitatis suæ aut alterius, detestando hominem natum, ex consensu deliberato volens malè natum aut non natum, Et sic de similibus. His annecte de verbis turpibus, quæ malè originati habent in consuetudine. Nonum præceptum. Non concupisces rem proximi tui, de peccatis auaritiæ in corde. Si desiderauit rem alterius iniuste habere. Si machinatus est ad damnū alterius. Et hic de propositis & studiis acquirendi per fas & nefas. Si fuit mediator aut consultor ad aliquid huiusmodi.

Decimum

370 Interrogat. confes.

Decimum præceptum. Non concupisces vxorem proximi tui. Hic de peccatis carnalibus in corde, & consequenter in loquutione. Si concupiuit mulierem alienam, aut consanguineam &c. secundum supradictas species luxuriæ. Si misit ad hoc nuncios, si literas. Si fuit mediator ad hoc aut adiutor. Si oculis aut nutibus prouocauit. Si in Ecclesia aliquid horum fecit: & peius si in missa &c. Et hic occurrunt innumerabiles actus amantium, quod ipsi sciunt &c.

Confessor qualiter interrogare habeat confitentem circa capitalia vitia.

Interrogationes autem de septem vitiis capitalibus non arbitramur aliter apponendas, quam remittendo ad ipsa vitia: vt scilicet confessor videbit in verbo, superbia, quæ sunt superbiæ: & in verbo, gloria, quæ sunt inanis gloriæ. & in verbo, auaritia, quæ sunt auaritiæ: & sic de aliis, ne contingat idem repetere. Similiter circa status diuersos hominum: siue communes, vt coniugatorum: siue speciales, vt Episcoporum, beneficiatorum, clericorum, religiosorum, visitatorum, iudicum, aduocatorum, procuratorum, medicorum, magistrorum, doctorum. Artificum verò diuersorum peccata, iniis quæ fraudis sunt applicata ad illam materiam maximè videntur consistere: & ideo non duxi republicanda.

Periculum vitæ propriæ non timens, eo potest peccatum incurrere, oppositum fortitudini & rationi.

Intimiditas (qua homo non timet pericula vitæ, integritatis membrorum, & bonorū temporalium, quando, vbi, cur, & sicut oportet) peccatum est contrarium fortitudini: quia cōtra rectam est rationem. Est autem peccatum mortale, quando ex consensu deli-